

autem, h. t. Ratio est, quod, licet alias ordinarie loquendo pœnitentia non liberet a pœna mortis per crimen promerita, tamen hoc speciale est in crimine hæresis, in qua pia mater Ecclesia iudex nullum pœnitentem vult e gremio Ecclesiæ rejicere, sed ad exemplum Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat, pœnitentes ita misericorditer recipit, ut saltem pœnam mortis evadant.

326. *Si quatuor concurrant conditiones.* — Ut tamen pœnam mortis evadat hæreticus non relapsus, quatuor videntur requiri conditiones, in textu num. præced. allegato comprehensæ. Videlicet I. Ut statim, seu continuo post deprehensionem erroris sese pœniteat. II. Ut sponte, et non metu mortis id faciat. III. Ut hæresin publice abjuret. IV. Ut aliam pœnam sibi imponendam subeat, et condigne satisficiat. Fagnanus, loc. cit.

327. *Statim sese pœnitere dicitur etiam adhuc ille, quem post sententiam ab Ecclesia contra se latam pœnitet, antequam tradatur curiæ seculari.* — Circa primam tamen conditionem maxima est controversia inter doctores, videlicet qualiter evadendam pœnam mortis continuo, seu statim (ut loquitur textus) debeat hæreticum pœnitere, et errorem confiteri, uti videre est apud Farinacium, de *Hæresi*, q. 193, a n. 42. Et quamvis ponderando verba juris debeat statim ac deprehenditur, et antequam depositiones testium, vel alia processus contra ipsum fiant suum errorem confiteri, et pœnitere illum debeat, prout etiam teste Farinacio, loc. cit., plures doctores in cit. c. *Ad abolendam*, h. t., docent, tamen praxis, et consuetudo, optima legum interpretis, habet, hæreticos non relapsos pœnam mortis evadere, si in aliquo sensu non statim, sed primo post carcerationem, vel etiam post receptas et publicatas probationes, ac testium depositiones, vel immediate ante, imo etiam post sententiam a iudice ecclesiastico latam errorem fateantur, et vere eos pœniteant, dummodo id faciant, antequam curiæ seculari tradantur. Farinacius, loc. cit., n. 56. Gonzalez, in c. *Ad abolendam*, 9, h. t., num. 4. Sylvester, *ŷ. Hæreticus*, § 1, n. 18. Clarus, § *Hæresis*, num. 8, cum communi aliorum testantium de communi consuetudine et praxi, etiam in tribunali inquisitionum. Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. XIV, q. 8.

328. *Hæretici etiam non relapsi, et sesestatim*

pœnitentes perpetuis subjacent carceribus. — Resp. IV. Quamvis hæretici non relapsi pœnam mortis evadant, si, antequam tradantur curiæ seculari, vere illos pœniteant, tamen subjacent adhuc aliis pœnis, et quidem ordinarie loquendo, perpetuis debent mancipari carceribus. Farinacius, de *Hæresi*, q. 193, num. 401. Castro Palao, de *Fide*, tr. IV, disp. 6, pun. 1, num. 1, cum Glossa communiter recepta in c. *Excommunicamus*, 15, vers. *Si qui*, h. t., per eodem capite expressum illis verbis: « Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur. » Ratio autem, ob quam tam gravibus pœnis mortis, vel perpetui carceris puniantur hæretici, est gravitas hujus criminis, maximaque damna, et præjudicia, quæ ex eadem non tantum Ecclesiæ et religioni, sed etiam bono communi, et tranquillitati reipublicæ sequuntur per dicta supra.

329. *Deprehensi in hæresi qui dicantur?* — Cæterum deprehensi in hæresi, ad hoc, ut postea sponte redeuntes, et sese pœnitentes in perpetuum carcerem detrudi possint ac pebeant, dicuntur illi, qui vel evidentiâ facti, et notorie sunt hæretici: vel de hæresi legitime convicti habentur. Barbosa, in c. *Excommunicamus*, 15, h. t., num. 6; Glossa, *ibid.*, *ŷ. Deprehensi*.

330. Hinc si quis notorius hæreticus non existens, hæresin et errorem suum sponte saltem fatetur, et sese pœnitet, dum capitur, vel denunciatur, vel antequam testes contra ipsum examinantur, vel saltem antequam testium depositiones contra eum publicantur, in perpetuos carceres detrudi necessario non debet. Castro Palao, loc. Farinacius, de *Hæretici*, q. 193, num. 3. Rojas, Tract. de *Hæretici*, p. 2, num. 197 et seqq. Pegna, Direct., p. 3, q. 93, comm. 141. Pirhing, h. t., num. 91. Gonzalez, in c. *Excommunicamus*, 15, h. t., num. 2. Ratio est, quia tales deprehensi in hæresi non censentur.

331. *Cum damnatis ad carceres perpetuos potest, et solet dispensari.* — Resp. V. Etsi quis juxta dispositionem juris ad pœnam perpetui carceris etiam irremissibiliter per sententiam fuerit condemnatus, possunt nihilominus inquisitores cum episcopis hanc pœnam mitigare, eamque vel in carceres ad certum tempus, vel in aliam pœnitentiam commutare. Farinacius, de *Hæresi*, q. 193, a num. 104. Clarus, § *Hæresis*, n. 7. Castro

Palao, de *Fide*, tract. IV, disp. 6, pun. 1, n. 2. Gonzalez, in c. *Excommunicamus*, 15, h. t., n. 2. Pirhing, h. t., n. 91, et alii, arg. c. *Ut commissi*, 12, § *Et illorum*, h. t., in 6, ibi: « Et illorum, qui mandatis vestris obediens humiliter stant propter hæresin in carcere, vel muro inclusi pœnam una cum prælatis, quorum jurisdictioni subsunt, mitigandi vel mutandi, cum videritis expedire. » Quæ est specialis dispositio juris, cum alias de ordinario jure loquendo, iudex, postquam tulit sententiam, censeatur functus officio, ita ut in illa dispensare, vel eam mutare amplius non valeat, prout amplius dictum est lib. II, tit. XXVII, de *Sentent. et re judicata*, a n. 33.

332. *Et quomodo?* — Porro circa hanc dispensationem, et mitigationem pœnæ, praxis officii inquisitionis illud habet, quod cum damnatis ad perpetuos carceres simpliciter dispenset post triennium, cum damnatis vero irremissibiliter, post octo annos dispenseat, si humiliter et patienter pœnam sustineant, veræque pœnitentiæ, et emendationis signa edant. Farinacius, loc. cit. Gonzalez, in c. *Excommunicamus*, 15, h. t., num. 2. Idem facere possunt episcopi in locis, ubi officium inquisitionis non viget; quia in hujusmodi locis idem, quod inquisitores, valent, item etiam superiores regulares ibi, ubi vi consuetudinis legitime præscriptæ suos subditos in causa hæresis judicant.

333. *Filii et filiæ etiam catholici hæreticorum privantur omni successione, et bonis paternis.* — Queritur VIII. An, et quibus pœnis temporalibus vel corporalibus ex allegatis subjaceant filii hæreticorum? Resp. I. Filii etiam Catholici parentum hæreticorum privantur quavis hæreditate paterna, tam ex testamento, quam ab intestato eis alias competente, et omnibus aliis bonis paternis. Farinacius, de *Hæresi*, q. 109, a n. 1, cum communi aliorum, ob clara jura c. *Vergentis*, 10, h. t., c. *Cum secundum*, 19, eod. in 6, et Authen. Gazaros, C. h. t., per quæ jura derogatum videtur legi *Cognovimus*, 19, C. *Ad leg. Jul. Majestat.*, eod., ubi Catholici filii admittuntur ad hæreditatem et successionem paternam. Rationem hujus ex cit. c. *Vergentis*, h. t., jam allegavimus supra num. 303, quæ ratio eodem c. *Vergentis*, ulterius, justificatur illi verbis: « Nec hujusmodi severitatis censuram orthodoxorum exhereditatio filiorum, quasi cujusdam inquisitionis prætextu debet ullatenus impe-

dire; cum in multis casibus (etiam secundum divinum iudicium) filii pro patribus temporaliter puniantur: et juxta canonicas sanctiones quandoque feratur ultio non solum in auctores scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum.

334. Ampliatur conclusio etiam ad filias, ita ut etiam priventur dote. Farinacius, loc. cit., num. 8. Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. XII, q. 6, et ad nepotes, aliosque descendentes, ita ut ab ascendentes hæreticis nec ab intestato, nec ex testamento aliquid percipere valeant. Farinacius, loc. cit., num. 22. Pirhing, h. t., num. 100.

Verum tam conclusionem, num. 333, positam quam ampliationem, num. præced., factam limitat Sanch., lib. II, cap. XXVII, a num. 10, in filiis natis ante hæresin parentum; sicut enim filios natos ante crimen læsæ Majestatis a parente commissum non incurrere pœnas temporales, ita etiam filios natos ante crimen læsæ Majestatis divinæ seu hæresin, easdem pœnas evadere vult, et ad longum ex professo probat.

335. *Non item successione ascendentium, collateralium, vel aliorum catholicorum.* — Resp. II. Filii hæreticorum non sunt incapaces hæreditatis ascendentium, collateralium, et externorum Catholicorum. Farinacius, de *Hæresi*, q. 191, num. 26. Decian. in Tract. *Crimin.*, lib. V, cap. XLV, n. 5, *ŷ. Limita octavo*. Molin. de *Jure et justit.*, disp. 6, num. 19. Gomez, de *Delictis*, cap. II, Rubr. de *crimine læsæ Majest. divinæ et humanæ*, n. 13. Pirhing, h. t., n. 99, et alii. Ratio est, quia jura privationem successionis ex testamento, et ab intestato statuentia de sola successione paterna, non item avi, collateralium, et exterorum bonis loquuntur, consequenter ad hæc extendenda non sunt: c. *Odia*, de *Reg. jur.*, in 6, *Pœnis*, eod., in 6, cum concordantiis, ob quam juris rationem et dispositionem vera manet conclusio, licet filii reorum criminis læsæ Majestatis humanæ non solum a paterna, sed quavis alia successione sint exclusi, *ŷ. Quisquis*, pr. 5, C. *ad leg. Jul. Majestat.*, ibi: « Filii vero ejus, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno etiam deberent perire supplicio) in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur, a materna vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni de testamentis extraneorum nil capiant, sunt perpetuo egentes, et pauperes,

infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit et mors solatium, et vita supplicium. » Ratio est, quia lex pœnalis non est extendenda ultra casum et personas in jure expressas: prout alibi amplius diximus.

336. *Sunt etiam infames.* — Resp. III. Filii hæreticorum sunt etiam infames. Farinacius, *de Hæres.*, q. 191, num. 26. Covarruvias, lib. II, *Variar. Resolut.*, cap. VIII, num. 1, in fine. Molina de J. et J., tom. III, disput. 638, num. 25. Pegna, in *Direct. Inquisit.*, p. 1. Comment. 4, §. *Hæc autem infamia*, cum communi contra Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. XXVIII, n. 5. Probant aliqui conclusionem ex c. 2, § *Hæretici*, h. t., in 6, ubi filii hæreticorum declarantur inhabiles ad beneficia, et officia, atque irregulares; ergo (inferunt) etiam infames; sed minus recte, quia, uti supra jam dictum, dari potest et datur inhabilitas hujusmodi, ac irregularitas absque infamia; ergo hæc ex illa male inferitur. Alii probant ex l. *Quisquis*, 5, C. *Ad leg. Jul. Majestat.*, ubi rei læsæ Majestatis humanæ perpetua notantur infamia, ibi: « Infamia eos paterna semper comitetur; » ergo (inferunt) etiam filii hæreticorum tanquam reorum criminis læsæ Majestatis divinæ sunt infames, arg. c. *Vergentis*, 10, h. t. Verum et hanc illationem non esse genuinam, constat ex num. præced.

337. Hinc aliter, et optime probatur ex pluribus constitutionibus Pontificiis, ut Innocentii IV. *Ad extirpanda*, edita 1259. Alexandri IV, rursus *Ad extirpanda*, edita 1259. Clementis IV, quæ pariter incipit *Ad extirpanda*, edita 1263. Honorii IV, *Exhibita*, edita 1286. Quibus specialiter statutum habetur, filios hæreticorum esse infames, ut videre est apud Farinacium, et Pegna, loc. cit. Accedunt duæ constitutiones Friderici imperatoris idem expresse statuente: ut proin ruat principale fundamentum Sanchez docentis contrarium ex eo, quod nullo jure reperitur statuta pœna infamiæ in filios hæreticorum.

338. *A reliquis temporalibus et corporalibus pœnis sunt immunes.* — Resp. IV. Reliquæ pœnæ temporales, et corporales hæreticorum, filios eorum Catholicos nullo modo afficiunt. Communis ac certa. Ratio est, quia nullibi in jure statutum reperitur, filios hæreticorum Catholicos alicui ex præfatis pœnis subiacere. Imo quod a pœna corporali sint immunes, po-

sitive statutum invenitur c. *Vergentis*, 10, h. t. et l. *Quisquis*, 5, C. *Ad leg. Jul. Majestat.*

339. *De filiis hæreticorum natis ante hæresin patris. Remissive.* — Cæterum utrum pœna infamiæ, et privationis omnis successionis in bona paterna afficiat hæreticorum filios non tantum natos post hæresin patris, sed etiam genitos ante illam, uti supra diximus de pœnis quibusdam spiritualibus, vide late pro, et contra discussum et finaliter negative concludentem apud Sanchez, cit., lib. 2, *Moral.*, cap. XXVII.

340. *In Germania hæretici Lutherani laici sunt immunes a pœnis hæreticorum temporalibus.* — Queritur IX. Num pœnæ temporales, et corporales afficiant hæreticos in Germania, et Romano imperio? Resp. I. Hæretici laici Augustanæ Confessionis, Lutherani videlicet, in foro civili temporalibus, et corporalibus pœnis non subiacent. Layman, lib. II, tr. I, cap. XVI, n. 4, in 6, pœnam. Pirhing, h. t., num. 83. Ratio est, quia vi pacis, et fœderis publici, religiosi nuncupati, a Pontifice non rejecti, gaudent cunctis privilegiis, juribus et immunitatibus civilibus, uti catholici, per dicta supra, quod etiam praxi continua comprobatur.

341. *Non item clericis hæretici.* — Dicitur notanter, hæretici laici; quia si clericus in hæresin quamcunque tandem, etiam Lutheranam labatur, pœnis temporalibus, et corporalibus, carceris v. g. perpetui (non item ultimi supplicii) omnino subiacet, iisque a judice ecclesiastico executive affici potest, et debet; tum quoad personas ecclesiasticas principes laici per illum publicum tractatum valide aliquid statuere nil potuerunt, arg. c. *Quæ in Ecclesiarum*, 10, de *Constitut.*, et amplius patet ex dictis lib. I, tit. II, de *Constitut.*, ubi late probatum est leges, statuta, et dispositiones laicorum de ecclesiis, vel ecclesiasticis personis etiam in favorem illarum factas, omni penitus carere valore. Tum quia Ecclesia quoad personas ecclesiasticas nec tacite, nec expresse approbavit illud fœdus, eximendo hæreticos a pœnis juris, imo contrarium huc usque practicavit, et etiamnum practicat; clericos hæreticos deprehensos temporaliter, et corporaliter puniendo, et ad carceres etiam perpetuos detrudendo.

342. *Utrum alterius, quam Augustanæ confessionis et sectæ hæretici laici in Germania sint immunes a pœnis hæreticorum.* — Dicitur notanter, hæretici laici Augustanæ confessionis; quia num etiam alterius confes-

sionis, et sectæ hæreticæ, v. g. Calvinistæ, Zwingliani, Hugonotæ, etc., sint immunes a pœnis temporalibus, et spiritualibus, merito dubitari potest; quia per pacem publicam religiosam Passavii conditam, et postea Augustanæ confirmatam, soli hæretici Augustanæ, non item alterius sectæ immunes a pœnis, et participes sunt facti jurium et privilegiorum, quibus gaudent Catholici.

343. Nec juvat alios hæreticos, si dicatur illos a pœnis hæreticorum exemptos, juriumque et privilegiorum civilium participes esse factos saltem postea per publicam pacem monasteriensem et Osnabrugensem. Nam contra est, quod illa pax non tantum nullo, nec tacito modo approbata, sed positive reprobata et annullata et irrita declarata fuerit ab Ecclesia per Bullam Innocentii X, supra num. 154, allegatam. Hinc quamvis in foro civili illa pax de facto observetur, ac propterea etiam alii hæretici a pœnis immunes permittantur; tamen spectando jura ecclesiastica hujusmodi hæreticos etiam laicos temporaliter punire, et ad perpetuos carceres detrudere posse videtur; cum nullo jure, aut valido pacto censeantur exempti.

344. Dicitur autem repetitis vicibus spectando jura; quia utrum non saltem consuetudine legitime præscripta a pœnis immunes, juriumque, et privilegiorum civilium participes sint hæretici laici alterius, quam Augustanæ confessionis, aliis discutiendum relinquimus.

345. Illud certum est, non expedire, ut judex ecclesiasticus hæreticum hujusmodi laicum propter hæresin temporaliter, aut corporaliter in his partibus puniat, eo quod sine publica perturbatione id fieri vix posset, hæreticis cunctis publicæ pacis fractionem conquerentibus, et pro mantentione illos apud catholicos instantibus, vel bellum novum propterea moventibus; ut propterea ad evitandum majus malum etiam alterius quam Augustanæ sectæ hæreticos laicos impunitos, ac vindictæ divinæ relinquere debeat; enimvero ad evitandum majus malum, præstat minus permittere, et impunitum relinquere, per vulgaria juris.

§ VII.

DE POTESTATE ABSOLVENDI AB HÆRESI ET ALIIS CASIBUS RESERVATIS, COMPETENTE EPISCOPIS.

346. *Papa nullum peccatum nisi ob annexam*

excommunicationem reservat. — Supponitur I cum communi doctorum, quod S. Pontifex ordinarie nullum peccatum sibi reservet, nisi propter annexam excommunicationem sibi item reservatam. Unde sublata censura, censetur ablata reservatio culpæ; et ita si quis v. g. tempore jubilæi, vel alias confessario habenti specialem facultatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis fuisset confessus, ab eoque absolutus ab omni vinculo excommunicationis, ommissa tamen per oblivionem absolutione casus reservati Papæ, posset postmodum ab hoc per quemlibet confessarium absolvi. Et similiter si hæreticus ignoret, hæresi annexam esse excommunicationem, ac proin hanc non incurrit ratione ignorantie, juxta dicenda infra tit. XXXIX, de *Sententia excommunicat.* potest is a quolibet confessario absolvi. Pirhing, h. t. n. 37, et Bassæus, §. *Casus reservatus*, tom. I, n. 2; Layman, lib. V, tract. VI, cap. XII, n. 2, et alii passim.

347. *Forus est triplex contentiosus.* — Supponitur II, cum Ludovico Miranda, tom. I, *Quæst. regul.* quæst. 46, art. 7; Sanchez, lib. VIII, de *Matrimon.* disp. 34, n. 29, et aliis quod triplex sit forus, alius contentiosus, alius pœnitentialis, alius vero forus conscientie, qui est medius inter utrumque. Forus contentiosus idem est, ac forus externus, et c. *Forus*, de *Verb. significat.* describitur dicendo: Forus est exercendarum litium locus.

348. *Alius pœnitentialis, alius conscientie.* — Forus pœnitentialis est forus sacramentalis, quando scilicet aliquis in sacramento pœnitentiæ ab aliquo peccato, vel censura absolvitur, non præstita sibi absolutione ligatur. Forus tandem conscientie mediat inter utrumque; licet enim forus sacramentalis videatur nonnullis idem esse ac forus conscientie, revera tamen differunt: nam absolutio, quæ conceditur in foro pœnitentiæ, potest fieri a solis sacerdotibus confessariis, et quidem in sacramento pœnitentiæ. Absolutio vero in foro conscientie ab excommunicatione, et aliis censuris potest ab habentibus legitimam potestatem tam intra, quam extra sacramentum pœnitentiæ, dummodo sit prima tonsura initiatus, præstare, ut cum aliis a se citatis notat Navarrus, cap. XXVII, *Manualis*, n. 41, quanquam commodius sit, ac magis receptum, ut talis absolutio committatur presbytero.

349. *Absolutio pro foro conscientie valet*